



# Disputatio juridica inauguralis de evictionibus

<https://hdl.handle.net/1874/340886>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAVGVRALIS  
DE  
EVICTIIONIBVS  
QVAM

Præside Deo Ter Opt. Max.

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris*

D. GVLIELMI STRATENI

In Illustri Trajectinorum Academia Med. Professoris

Primarii, Amplissimi Senatus Academici consensu, &

Clarissimæ facultatis Juridicæ Decreto,

*Pro summis in Vtroque Iure honoribus consequendis,*

*Publicè defendendam proponit*

JACOBUS LIEFTINCK, Ultrajectinus.

*Ad diem 6. Februarii boris locoque soliti.*



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ WILHELMI STRICK

Anno M. DC. XLIV.



*Amplissimis, Clarissimis, Spectatissimisque*  
*VIRIS.*

**D. IOANNI NIPORTIO** Civitatis  
Ultrajectinae Consulari,

**D. IOANNI STRATENO**, Provin-  
cialis Curiae Trajectinae Senatori,

**D. GVLIELMO STRATENO** Civi-  
tat: Ultraject: Archiatro, nec non Med.  
Professori primario, & p. t. Rectori Magni-  
fico.

Cognatis suis venerandis

*Disputationem hanc Inauguralem,*

Inscribit & offert,

**JACOBUS LIEFTINCK!**

DISPUTATIO JURIDICA  
IN AVGVRALIS  
DE  
EVICTIIONIBVS  
THESIS I.



Vincere, nihil aliud est, quam vincendo extorquere & rem abducere: Evincere, enim plus est quam vincere: quemadmodum plus est elugere, quam lugere. Lugebantur olim parentes & liberi, non tamen elugebantur. Mariti interdum lugebantur & elugebantur, interdum non elugebantur licet lugerentur. *l. liberorum. 11. D. de his qui not. infam. Cujac. tract. 6. ad Afric. in explic. l. 24.*

*D. b. t. Cabal. in prafat. tract. de evict. n. 1.*

II.

Eviçtio igitur describi ita potest, ut sit rei emptæ per judicem facta ablatio. Dico rei emptæ, tum quia in emptionis contractu præcipuè locum habet eviçtio, tum etiam, quia latè sumptò emptionis vocabulò aliæ alienationes non excluduntur. *l. statuliber. 29. §. fin. D. de statulib.* Dico per judicem: si enim vi, vel casu fortuito, aut morte res emptori fuerit ablata, eviçtionis actioni locus non est. *l. Lucius 11. pr. l. si servus 21. pr. D. b. t. l. si quis 26. C. eod. l. ult. C. de act. empt. Giphan. in com. C. b. t. Cujac. d. tr. 6. ad Afric. in explic. d. l. 24. D. b. t. Cabal. d. tr. §. 5. n. 11. Hot. in epit. de evict. n. 8.*

III.

Genus est ablatio, & hoc magis placet quam recuperatio: nec sufficit auferri per judicem quoquo modo, sed rectè eam factam esse oportet: Si enim per imprudentiam judicis, aut errorem,

emptor rei victus sit, negamus auctoris damnum esse debere: quid enim refert sordibus iudicis, an stultitiâ res perierit. *l. si pro re 22. §. 1. l. si per imprudentiam 51. D. b. t. l. emptore 8. l. si non injuria 15. C. eod. Hot. d. epit. n. 8. Cabal. d. tr. §. 1. u. 6. & §. 5. n. 8. & seqq.*

#### IV.

Porro evictio duobus præcipuè modis contingit, condemnatione & absolutione. Condemnatione possessoris, vindicante domino. Absolutione possessoris, vindicante cõ qui possessione exciderat. *Leviela 16. §. 1. D. b. t. Cujac. in parat. C. b.* Mirum in modum hæc confundit Caballinus, cum evictionera facit quadruplicem, Expressam, Tacitam, Solennem & Impropiam, nullam habens differentie rationem inter actionem quæ nomine evictionis ex natura competit, & ipsam evictionem: confundens etiam conventionem de evictione præstandâ, cum evictione ipsa. *d. tr. §. 2. n. 1. 2. 3. & seqq.*

#### V.

Evincere qui possint satis constabit, si dixerimus qui non possint. De his verò traditur ista regula: Quem de evictione tenet actio, eundem agentem multo magis repellit exceptio. *l. vindicantem 17. l. Scia 73. D. b. t.* Quamobrem constat venditorem evincere rem non posse, nec etiam ejus heredem. *l. si de possessio 14. l. cum successores 23. C. eod.* Et si succubuit emptor in lite per modum exceptionis, potest nihilominus regredi per modum actionis. *l. sed etsi 18. D. b. t. Costal. ibid. Perez. in prelect. C. b. t. n. 2.* Excipitur asseritor, id est, qui vendidit servum, cumque postea asserit in libertatem & evincit, quæ quidem valet evictio, sed evincens emptori tenetur *l. si tibi liberam 25. C. eod.*

#### VI.

Quid dicendum de persona fidejussoris venditoris? Idem ferè: rectè enim exceptione submovebitur, qui venditioni aded consensum dedit, ut se etiam pro evictione obligaverit *l. exceptione 11. C. b. t.* In herede tamen fidejussoris supra dicta regula cessat. *l. ult. C. eod.*

*C. eod. Cabal. d. tr. §. 5. n. 2. limit. 3. Perez. d. loco n. 3. Giph. d. loco. Costal. in l. 17. D. de evict.*

VII.

Locum habet evictio & ejus obligatio sive actio præcipue in emptione, ideoque ejus passim fit mentio. Emptio plerumque est rerum singularum, interdum & universalum, quo casu distinguunt Interpp. ut venditor tum teneatur si ipsa universitas, hereditas scil. evincatur, non item si res singulæ hereditariæ. *l. emptor hereditatis 1. C. h. t. Giph. in Com. C. h.*

VIII.

Nec tantum in emptione, verum etiam in quibusdam aliis emptioni cognatis negotiis, veluti in datione in solutum, quo casu utilis evictionis actio competit. *l. si prædium 4. G. h. t. In permutatione l. si permutationis 29. C. eod. arg. l. 1. C. de rerum per. Perez. d. loco n. 6.*

IX.

An in servitutibus etiam locum habet? Dist. In personalibus, ut usu vel usufructu evicto, actio de evictione competit. *l. vacce 43. l. fundum 46. l. si ab emptore 49. l. quod si quis 15. §. 1. D. h. t. l. stipulatio ista 38. §. si quis forte 3. D. de V. O. Cujac. ad d. l. 38. §. 3.*

X.

In realibus subdistinguo: Aut servitus tacite fundum venditum secuta est, & venditorem ob evictionem non tenet, inquit Venulejus in *l. quod ad servitutem 75. l. cum fundus 48. D. h. t. l. cum venditores 59. D. de contr. empt. & Paulus in d. l. quod si quis 15. §. 2. D. h. t. (ubi tamen pro servus necessario legendum est servitus. Cujac. 2. obs. 20.)* Aut absolute servitus sine fundo venditur, ut si quis per fundum quem cum alio communem habeo, quasi solus dominus ejus sit, jus eundi agendi mihi vendat & cedat, tenebitur evictionis nomine ceteris non cedentibus *l. si quis 10. l. fundum 46. §. 1. D. h. t. Cabal. d. tr. §. 5. n. 70. & seqq. Hot. d. loco. n. 6.*

XI.

Sed cur tam varie? Diversitatis ratio in eo est, quod servitus prædij tacite accedente evictâ, emptor non prohibeatur rem habe-

re eaque uti: habet tamen actionem aestimatoriam quanto minoris fundum emisset si scisset servitutem impositam. *l. quoties 61. D. de edil. edict.* In reliquis vero casibus jure penitus evictio, rem habere non licet. *Cujac. tract. 6. ad Afric. in expl. l. 46. D. h. t. Giph. in d. com. C. h.*

## XII.

Quid de legatis dicendum, an in iis etiam procedit evictio? Dist. aut res evincitur quæ in genere erat legata & locum habet: aut in specie & locum non habet evictio *l. heres servum 58. D. b. t. Hot. d. loco. n. 6. Peres. d. loco n. 10.*

## XIII.

Quæritur. An creditor, qui pignus vendidit de evictione teneatur. Dist. utrum jure communi, an jure creditoris & pignoris dist. traxerit. Si jure communi, id est, si cavet de evictione, ut solent venditores, quid ni de evictione teneatur? quam tamen si præstiterit, debitor tanquam non liberatus creditori tenetur actione creditæ pecuniæ vel contraria pignoratitia, propterea quod apparuit eum rem alienam pignori obligasse. Si jure creditoris & pignoris lege, id est, non promissâ evictione vendiderit, non tenetur de evictione, nec ad pretium restituendum, sed debitor ipse eo nomine re evictâ, emptori tenetur utili actione ex emptol. *22. §. ult. & l. seq. D. de pign. act. l. 59. §. creditor D. mand. l. 1. & 2. C. cred. evict. pig. non deb. ubi Cujac. in par. Giph. d. loco. Costal. ad l. 50. D. h. t. Christ. ad leg. Mechl. tit. 13. art. 38. v. 7. 8. 9. Ant. Fab. conject. 17. c. 12.*

## XIV.

Præterea ut emptor de evictione adversus venditorem actionem habeat, est quod ei denunciet litem sibi moveri, cumque moneat ut liti assistat. *l. si fundo 53. §. 1. l. si ideo 55. §. 1. l. si dictum 56. §. 4. & seqq. D. b. t. & l. emptore 8. l. si controversia 9. l. si cum questio 17. l. si parentes 20. l. empti actio 21. l. cum successores 23. C.*

od. Hot. d. epit. n. 4. Cabal. d. tr. §. 3. n. 1. & seqq. Covar. 3. res. 17. n. 3. In denunciatione hæc præcipuè notanda veniunt, quis laudet? Cur laudatio fiat? quomodo & quando? De singulis ordine.

XV.

Laudat præcipuè emptor. d. l. emptore §. l. sicum questio 17. l. empti actio 21. l. cum successores 23. C. b. t. An etiam donatarius? Neg. frustra enim laudabit, cum actio de evictione nulla ipsi sit prodita, nisi specialiter de evictione præstanda convenerit. l. quoniam 2. C. h. t. quo casu etiam denunciatio requiritur. supradd. n. Perez. d. loco. n. 9. Bronch. 3. ass. 70. Gomez. tom. 2. e. 2. n. 35.

XVI.

Denunciatio hæc fit venditori, ejusque hæredibus venditor mortuo, etiam omnibus quocunque gradu constitutis. d. l. cum successores 23. C. b. t. etiam pupillo, si tutor non appareat denunciationem fieri posse benignius receptum Trebatius ait. l. si dictum 56. in fin. d. cod. Cabal. d. tr. §. 3. n. 142.

XVII.

Sed quid si auctor sciverit litem emptori moveri? emptor nihilominus denunciare tenetur. arg. l. 53. §. 1. d. b. t. l. emptore §. l. si parentes 20. C. cod. Cabal. d. tr. §. 3. n. 1. & seqq. Fach. 2. contr. 35. Covar. 3. res. 17. n. 3. Diss. Dyn. in c. eum qui 31. de R. Lin 6. & Lac. de Bel. vis. in d. l. 8. C. b. t.

XVIII.

Cur enim fit laudatio? non solum ut sciat, sed ut liti assistat causamque instruat auctor. d. l. si parentes. 20. l. empti actio 21. C. b. t. l. si fundo 53. §. 1. d. cod. Unde constat, si notoriè injustam venditor habeat causam, idque probare paratus sit emptor, licet denunciatio fuerit



fuerit omiffa æquitati tamen consentaneum esse ut detur regressus  
adversus auctorem, saltem actione ex empto. *arg. l. evictus 35. d. b. t.*  
*Cabal. d. tr. §. 3. n. 74. Fach. 2. contr. 37. Covar. 3. resol. 17. n. 6.*

### XIX.

Cæterum ut auctor liti commode assistat, causamque instruat,  
venditor emptoris judicem sequi debet. *l. venditor 49. d. de Judic.*  
Judicium enim inter petitem & emptorem instituitur *l. in rem  
actio 1. C. ubi in rem act.* Ubi verò hoc cœptum est, ibi finiri debere  
constat ex *l. ubi acceptum 30. d. de Judic.*

### XX.

Quid de Clerico venditore dicendum, an ipse potest declinare  
forum judicis secularis? *Neg. d. l. 49. d. de Judic. Cabal. d. tr. §. 3. q.  
2. Et hoc præjudiciis Camerae receptum fuisse, testatur Mins. 1.  
obs. 22. n. 7. & 8.*

### XXI.

An fiscus venditor causam ad suum judicem revocat? Ita Dd.  
communiter. Nos ex ratione *l. bene 3. C. de quadri. pres. & §. ult. Inst.  
de usu cap.* quia emens à fisco statim fit securus, eique evictionis vel  
alterius inquietudinis gratia ratione domini vel hypothecæ actio  
minime moveri potest, utpote quæ contra ararium tantummodo  
instituta venit, hanc quæstionem siquidem raro locum habeat,  
frustra tam anxie disputari arbitramur. *Bach. in not. ad Trent. disp. 2.  
vol. 2. th. 8. lit. C. Diss. Cabal. d. tr. §. 3. n. 124.* Cæteroque fiscus  
utetur jure privatorum, præterquam in casibus exceptis & expres-  
sis. *gl. in litem veniunt. 20. §. ait Senatus 7. & seqq. d. de petit. hered. l.  
quod placuit 37. d. de jur. fisc. Fach. 2. contr. 38.*

### XXII.

Quomodo denunciatio fieri debeat queritur? An sufficit denun-  
ciare auctori litem esse motam, an verò necesse est ut libellus trada-  
tur venditori oblatus contra emptorem? *Aff. Bart. in l. empti actio 1.  
C. b. t.*

*C. h. t. eamq; sententiam semper in praxi servari tradit. Negat Angel. in l. emptor. 28. c. h. t. ubi & Bald. n. 5. qui illud de consuetudine servari asserunt. Nos in praxi quidē tutius putamus, ut denunciationi libellus adjungatur, non tamen ad eò necessarium, ut eo omisso denuntiatio futura sit nulla: solam enim denunciationem leges supra dictæ requirunt, ex qua satis quid suarū partiū sit, nimirum ut ad asistendum veniat venditor, intelligere potest: tota enim causa emptoris est, & inter ipsum & petitorē negotium tractatur. arg. d. l. 49. d. de Iudic. l. 1. C. ubi in rem act. juncta, d. l. 3. d. de Iudic. Diff. Covar. 3. resol. 17. n. 3. Cabal. d. tr. §. 3. n. 35. & 38. Facb. 2. contr. 35. Marant. part. 6. in quinto memb. judic. n. 12.*

### XXIII.

Quando denuntiatio faciendā sit, definit Pomponius in *l. si rem. 29. §. 2. D. h. t.* Quolibet tempore, inquit, venditori denunciari potest, ut de ea re agenda adsit, quia non præfinitur certum tempus in eā stipulatione, dum tamen ne prope ipsam condemnationem id fiat. Constat ex his denunciari posse ante & post litem contestatam. *cabal. d. tr. §. 3. n. 144. covar. d. loc. n. 8.*

### XXIV.

Sed quodnam tempus intelligit Pomponius in *d. l. 29. §. 2.* dum dicit, *prope ipsam condemnationem?* Hoc tempus intelligi arbitramur, quo nobis facultas probationis faciendæ, penitus non est ablata: postea enim si fieret non posset venditor rem defendere, nec jus suum in judicio proponere & probare. *Perez. d. loc. n. 34.*

### XXV.

Denunciatione legitime factā, si venditor sit contumax sumptus etiam litis repetere potest, eosque omnes necessario factos

B

ctos

Etos, in quo tamen verior nobis videtur Accursii sententia ad l. 1. C. b. t. exilimantis eos venire si res fuerit evicta, non venire si res non fuerit evicta, id est, si emptor in lite evictionis fuerit victor. l. si status 18. c. b. t. l. fidejussor 15. D. de dol. mal. & met. except. neque enim cavere aut impedire potest venditor, quo minus emptor per injuriam aut calumniam vexetur, & cum eventus judicii ostenderit justitiam causæ venditoris, nihil ipsi imputari debet. Giph. d. loco. Gl. in l. 1. c. b. t. Perez. d. loco n. 30. & 31. Dif. Cabal. d. tr. 9. 3. n. 146. Gomez. tom. 2. c. 2. n. 37.

XXVI.

Quomodo cavendum evictionis nomine? an per fidejussores? Neg. sola enim repromissio sufficit, nec secundus auctor desideratur. l. illud 4. l. emptori 37. l. si dictum 56. pr. D. b. t. l. 1. §. stipulatio duple S. D. de prat. stipul. nisi nominatim actum sit ut satisfidetur. dd. ll. Wes. in par. b. n. 2. Hot. in epit. de edil. edict. n. 3. & de evict. n. 3. aut in limine contractus immineat evictio, tum enim non posse emptorem compelli ad totius vel residui pretii solutionem, nisi fidejussores idonei à venditore evictionis gratia emptori offerantur, juris auctoritate monstratur. l. cum post perfectam 24. c. b. t. Cabal. d. tr. 9. 2. n. 8. 9. 10. 11. Hot. d. epit. n. 4.

XXVII.

Re ab emptore evicta, venditor evictionem præstat, id est pretium reddere tenetur. l. si ve tota 1. D. b. t. Hoc pretium modo simplicum est, modo duplum. Simplicum cum ita convenit, aut nulla evictionis facta est mentio. Duplum si hoc emptor sibi evictionis causa sit stipularus. l. emptori duplam 37. pr. & §. 1. l. si in venditione 60. l. evicta re 70. D. b. t.

XXVIII.

Consequimur pretium actione evictionis, que etiam auctori-

tas, siue actio auctoritatis dicitur in *l. ult. v. b. t.* Duplum actione ex stipulatu, quæ stipulatio plerumque fit, si res pretiosa margarita fortè, aut ornamenta pretiosa, vel vestis serica, vel quid aliud non contemptibile veniat: quod per edictum Aedilium Curulium etiam ad servum venditum extenditur. *d. l. emptori duplam 37. §. 1. D. b. t. l. quod si nolit 31. §. quia assidua v. de AEdil. edict.* Simplum quoque ex stipulatu consequimur, si stipulatio intercefferit de re fortè modica. *d. l. 37. §. 1. D. eod. Cujac. in par. C. b. Perez. d. loc. v. 14. Hot. d. epit. n. 7.*

### XXIX.

Sin autem nulla intercefferit stipulatio, consequimur pretium actione ex empto, & præter simplum in id quod interest agitur: *d. l. si in venditione 60. l. evicta re 70. D. b. t. & l. si controversia 9. l. si cum questio 17. l. empti actio 21. l. cum successores 23. C. eod.*

### XXX.

Sed quaeritur hic: An illud quod interest ultra duplum pretii conventi vel communis possit extendi? Neg. maxime si venditor dolo careat, nam si contra scientem agatur qui alienum vendidit, etiam ultra duplum condemnari potest. *l. cum forte 44. cum se 3. D. de act. empt. l. unic. C. de sent. que pro eo quod inter. profer. Cabal. d. tr. §. 3. q. 16. Cujac. in par. C. b.*

### XXXI.

Utraque actio tum locum habet, cum res vel rota, vel pars eius est ablata, atque ita amissa, ut eam emptori habere non liceat, spe habendi penitus abscissa *l. si ve tota 1. l. si communi 34. §. 1. l. minor 39. §. 2. l. si ab emptore 49. D. b. t. Cujac. ad l. cum qui aedes 23. D. de vsucap. Pac. 5. ant. 34.*

## XXXII.

Sciens quis emit fundum alienum alterive obligatum, quæritur, An actionem de evictione habeat? Neg. *l. si fundum 27. C. b. t.* nisi forte de evictione specialiter sibi caverit, *d. l. 27. & l. apud Celsu 4. §. item Labeo 5. d. de dol. mal. & met. except. Hot. in epit. de evict. n. 8. Facb. 2. contr. 40. Cabal. d. tr. §. 5. n. 31. & §. 4. n. 50.*

## XXXII.

Denique quæritur: Utrum evictionis remedium sit favorabile, an vero odiosum? aliis favorabile, aliis odiosum, quibusdam & favorabile & odiosum videtur. Nobis certo respectu, & favorabile & odiosum, esse, magis placet: quomodo enim in totum odiosum dici potest, quod ratione & jure est introductum? *Bach. in not. ad Treut. vol. 2. disp. 2. tit. 5. lit. A. Cabal. in præf. d. tr. n. 10. Diss. Paul. de Castr. in l. cum emptor 48. d. ad l. falcid.*



V O T V M

*Ad Doctissimum & Ornatissimum Iuvenem*

D. IACOBVM LIEFTINCK,

Pro summis in V.I. Honoribus consequendis.

*Hanc de*

E V I C T I O N I B V S,

Materiam defensurum.

A S T R Æ A, mater quam peperit Themis  
Magno Tonanti, præcipuum poli  
Celsi decus, Præses severa  
I V S T I T I Æ, scelerumque Vindex.  
Vecors malorum quam metuit manus,  
Tectumque quisquis flagitium gerit:  
In conscio cordis recessu;  
Quam populus veneratur omnis,  
Qui P H O E B V M ab undis, cū revehit diem,  
Cernit coruscum tollere verticem,  
Et ille, fumantes quadrigas  
Qui videt in Pelagus ruentes:  
Tu, cujus enssem dextera flammeum  
Fidumque gestat præsidium bonis,

Simul-

Simulque custodem æquitatis  
Læva manus retinet balancem;  
Mortaliū si cura tibi super  
Est ulla, si quis restat adhuc amor,  
Postquam reliquisti hæc terras  
Cædibus & vitiis scatentes,  
Adsis rogo nunc LIEFTIGIO favens,  
Qui semper artes excoluit tuas,  
Et præmia expectat laboris,  
Promeritam capiti coronam:  
Insomnibus tot noctibus exitum  
Concede dignum, da juveni impetus  
Retundere hostiles, minasque:  
Te duce sit bona causa victrix.  
Quod si impetraverit, perpetuò tibi  
Sese ministrum devovet integrum,  
Iam nunc Sacerdotum tuorum  
LIEFTIGIVS numero inferendus.

CORN: DUERDEN.